(6.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

FEBRE HECTICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER LENEY,

Hibernus,

COLL. REG. LOND. SOC. ET SOCIET. PHYSIC. EDIN. SOC.

.... it is no living hue,
But a strange Hectic,—like the unnatural red
Which Autumn plants upon the perished leaf.

BYRON.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

PATRUO SUO

VENERATISSIMO ET CARISSIMO,

REVERENDO ALEXANDRO LENEY, A. B.

DE " CASTLE-DAWSON," JUXTA " DUBLIN,"

VIRO,

HAUD MINUS

MORUM SUAVITATE, VITÆQUE PIETATE,

QUAM ALIIS DOTIBUS ANIMI INSIGNIBUS,

ATQUE ERUDITIONE MAXIMA,

PRÆCLARO ;

HASCE, IN RE MEDICA, PRIMITIAS,

EXISTIMATIONIS ET AMORIS

TESTIMONIUM TENUE,

LUBENTISSIME CONSECRAT

AUCTOR.

To Doctor Woodford wi
the Compliments of the
Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE HECTICA.

Auctore Alexandro Leney.

E morbis fere innumeris, qui Medico et Chirurgo tractandi occurrunt, pauci majorem animi attentionem, vel symptomatum suorum investigationem accuratam, (unde profecto solam veram et utilem de curatione scientiam discimus), magis quam Febris Hectica sibi vindicat; ideoque, quoniam hujus Academiæ leges quemque honores summos in Medicina gradumque Doctoratus affectantem, tentamen de re aliqua ad medicinam pertinente

perscribere imperant, hanc Febrem in qua exponenda elaborem selegi; non quod aliquid novi de morbo in quem multi scriptores, temporibus diversis, iique ingenii et acuminis summi, contulerunt, proferre sperare possim, sedut a variis sententiis auctorum melius ordinatis, pleniorem de ejus symptomatis, causis phænomenisque notitiam adipiscamur. Multa imperfecta in opusculo hujusmodi necesse fore, et omnia de morbo adeo complicato, et a tot causis orto, intra tantulos limites, comprehendi non posse bene cognosco; sed aliquod veniæ ob argumenti difficultatem deprecatus, jam quantum in me situm est, de rebus quæ præcipue in eo attentionem merentur, agere progrediar. Primo, igitur, symptomata hujus morbi, pro mei ipsius experientia, auctorumque perlectione, memorabo.

HISTORIA MORBI ET SYMPTOMATA.

Nihil magis quam descriptiones ejus et locationes diversæ ab auctoribus diversis prolatæ, complexitatem et abnormitatem hujus febris comprobare que-

at. SAUVAGESIUS et SAGAR eam inter Febres continuas; LINNÆUS, CRICHTON et PARR inter Remittentes et Exacerbantes ponunt. BOERHAAVE naturam ejus mistam, et continuam intermittentem censuit. CULLEN pro affectione tantum symptomatica habet. " As I have never (ait ille) observed this fever except when symptomatic, I could not consent to admit it into the list of idiopathic fevers." Hectica est ratio dissolutionis lenta; symptomata generalia ea febris lentæ referunt, debilitate comitante; sed potius actio quædam debilis quam debilitas vera et simplex adest, causa enim hectica sublata, actio ad vigorem spectans restituitur, et unaquæque functio naturalis reficitur, quantumvis prius impedita fuerit. Istius definitio talis a nosologo celeb. Doctore CULLEN traditur: " Febris quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia, matutina; plerumque sudoribus nocturnis, et urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente." Et eandem in classe Pyrexiarum et ordine Febrium collocat. Difficillimum autem est morbum accurate definere, cujus indicia adeo multa sunt, neque omnia fere unquam simul sese produnt in conspectum. Paroxysmus primus circa

meridiem incipit, et ad horam tertiam, quartam vel etiam quintam, post id tempus, perstare potest: deinde remissio levis intervenit, quæ ad horam tertiam vel quartam, in mane proximo, perstat. Rigores sæpe exacerbationes comitantur; at vespertinæ longe pejores sunt. Inter has æger quodvis aëris frigus acerrime sentit, et de sensu frigoris, dum simul cutis præter naturam calet, conqueritur. Quod ad earum diuturnitatem attinet, quoque variant; etiam ubi stadia cuncta adsunt, et sese invicem ordine justo sequuntur, diuturnitas tamen totius exacerbationis adeo incerta est, ut vix tres exacerbationes æque diu perstantes deinceps accidunt. Remissiones nonnunquam ad dies decem vel duodecim sine ullo pyrexiæ indicio pertinebunt; interdum, vero, stadium frigidum, calidum vel sudans aliquoties in die eodem revertetur. JOANNES HUNTER hecticam esse affectionem constitutionalem censet a morbo vel irritatione locali pendentem, cujus vis naturæ medicatrix conscia est, neque tamen rejicere valet. Quando a morbo locali ortum ducit, plerumque primus curationis processus, inflammatio scilicet, et suppuratio, prægressus est; sed tamen curatio, præ naturæ defectu, per granulationem et cicatri-

zationem perfici nequivit; re sic se habente, constitutio, morbo vel irritatione locali a qua se liberare non potest, opprimi dicatur.

Febris Hectica sæpissime tarde, et quasi per insidias incipit, neque fortasse per menses aliquot subesse suspicatur. Indicia, quæ sola spectari possunt, hæc sunt: lassitudo post exercitationem levem etiam, et aliquando appetitus defectus, hoc autem minime perpetuum est, sæpe, enim, tantum abest ut appetitus deficiat, ut haud raro parum omnino minuatur, vel etiam interdum præter naturam augeatur. A tempore quum primum signa hectica in apertum produnt, urina profunde colorata est, et sedimentum furfuraceo-lateritium deponit; os plerumque humidum existit, et sitis haud parva. In stadio primo quoque indicia non bene notata sunt; macies non magna adest; pulsus non 80 superat; acceleratio pulsus cutisque calor post pastum plerumque manifestiores fiunt, et ab iis sæpe primis de morbi aggressione medicus certior evadit. Si hæc symptomata cum æstimatione pulsus generali, adeo ut arteria nonagies, centies, vel centies et vicies intra horæ partem sexagesimam micet, satis superque causæ non deest cur aliquid periculi metuamus. Nonnunquam

etiam in stadio incipiente ad 100 surgit, et in quibusdam exemplis aliter bene notatis et aliquantum provectis, non ultra 80 ipse observavi; varie in ægris diversis pulsus afficitur, et multum variare queat; ad initium enim morbi sæpe naturalis est, vel saltem paulo solito celerior; malo autem progrediente, durus et frequens evadit, cum faciei rubescentiis, præsertim post cibum ingestum. Hæc febris species profecto generis remittentis est, et, in exemplis plerisque exacerbationes bis die habet, quæ temporibus supra memoratis accidunt. Inter notas Febris Hecticæ sæpe annotatum est, exacerbationem ejus plerumque post cibum sumptum conspici, et prandium quod ad meridiem vel post id tempus sumitur, aliquid exacerbationis reversa efficere videtur. Hecticus sæpe de frigore conqueritur, quando calor per thermometrum indicatus non præter naturalem existit. Vultus squalet et fœdus videtur, et morbo provectiore aspectum quam maxime anxium adipiscitur. Huc accedit respiratio difficilis et rubescentia circumscripta super ossibus malaribus, cui vulgo nomen "Hectic Flush," anglice imponitur. Pulsus fit parvus, celer et acris; sanguine a cute introrsum verso, superficies corporis pallescit; appetitus cibi turba-

tur, et omne alimentum a ventriculo per os iterum rejicitur; fere a primo febris aggressu urina sedimentum deponit; aliis temporibus nihil præter solitum ostendit; et quod ad hoc attinet, plurimum variare dicatur. Joannes Hunter Febrem Hecticam verbis talibus depingit: "The particular symptoms are debility, a small quick and sharp pulse; the blood forsaking the skin, loss of appetite, often rejection of all aliment from the stomach, wasting, a great readiness to be thrown into sweats, sweating spontaneously when in bed, frequently a constitutional purging." His urinam limpidam adjicit; de hac re vero multum inter auctores disceptatur. Doctor Heberden urinam in exacerbationibus et remissionibus æque turbidam vel limpidam esse annotavit, et nunc in prima limpidam, in secunda turbidam; nunc in prima turbidam, et in secunda limpidam. Dum contra Doctor Duncan, ab observatione sedula et experientia longa, urinam furfuraceo-sedimento naturale præcipue insignitam esse asseverat, eademque nota Doctori Good in sua praxi apparuit. Hæc febris tria stadia, frigidum, calidum et sudans, maxime tamen abnormia, quod ad artionem attinet, qua sese produnt, habet; si vero

unquam ordo regularis observatur, tantummodo per dies tres vel quatuor ad summum perdurat; tum enim ordo plerumque e contrario omnino evadit; interdum namque, ultimum ante cætera duo accidere observatur. Inter prima tamen morbi tempora, est quoddam novisse stadium frigidum ex omnibus gravissimum esse, et stadium idem febris intermittentis referre; secundum vehementiam, locum proximum calidum, ultimum sudans tenet. In malo ineunte lingua aspectum fœdo-albidum adipiscitur; morbo autem provectiore, aliquantum circa margines colorem florido-rubrum, in centro albidum, exhibet; postea florido-rubra glabra, polita, valde arida fit, et vehementer dolet; fauces quoque multum inflammatæ videntur.

Jam ad pauca de statu alvi, initio hujus morbi dicenda progrediar. Hanc semper astrictam esse usumque aperientium postulare observavi; sed prout morbus progreditur alternatio fit cutem inter et intestina; prout sudores copiosi profluunt status alvi contractior evadit; illis vero minutis vel suppressis, diarrhœa colliquativa eo magis urget, unde axioma HIPPOCRATIS, "Cutis raritas alvi densitas." Hoc malum debi-

litas semper inseparabilis comitatur; quæ quidem inter ejus decursum paulatim augescit. Dolor capitis et delirium vix unquam exacerbationes comitantur. Symptomata quæ præcipue proxime ante mortem talia sunt; urina nunc pallida redditur, nunc sedimentum lateritium deponit; sudores frigidi et viscidi super caput, cervices et pectus erumpunt, præsertim nocturni; sed quo tempore cunque demum sudor appareat, æger nunquam ab eo sublevatur, sed dum adest, æque solicitus et inquies ac in stadiis frigido et calidis, usque manet; ad tales sudores quoque maxima proclivitas inhæret. Plantæ pedum manuumque palma calore ardescunt. Appetitus prorsus deficit, et, ut supra dictum est, sanguis cutem summam relinquit; aphthæ linguam obsident, et sæpe in exulcerationes late patentes desinunt. Hoc quoque aliud symptoma est, a quo hoc tempore accidente morbum exitum lethalem esse habiturum semper præcognosci queat. Æger tantum exhauritur ut motum vel levissimum perficere nequeat; diarrhœa colliquativa cum sudoribus cito eum ad imum virium gradum deducunt; macies summa adest, partesque pressuræ objectæ ad ul

cerationem maxime pronæ fiunt. Malæ prominent, oculi quasi excavati et hebetes videntur, vasis rubris tunicæ adnatæ e conspectu abeuntibus: hæc membrana colorem album, tanquam margaritarum, assumit; capilli decidunt, unguesque multum incurvantur. Capilli decidentes et ungues adunci, secundum Doctorem CULLEN, defectum nutrimenti quoque indicant. Partes extremæ inferioribus sæpe tumoribus œdematosis plectuntur; sensus externi et interni plerumque ad ultimam lineam rerum usque integri permanent. Jam somnus, qui adeo sæpe mortalium curas sedat, ægritudinesque oblivione dulci quamvis temporaria mollit et sublevat, sulcosque fronti solicito demit, lectum ægroti aufugit. Hecticus sæpe spe læta effertur, et gaudia quæ nunquam rata, nunquam sancita erunt, mentis acie captare videtur; sub mortem extremitates frigescunt; et in nonnullis delirium supervenit et ad lethum usque perstat.

DE CAUSIS, TAM IIS QUÆ TANTUM PROCLIVITATEM EFFICIUNT, QUAM IIS QUÆ MALUM REVERA ARCESSUNT.

Absorptio puris ante hoc tempus causa hecticæ putabatur; sed, ut mihi videtur, hanc sententiam, JOANNES HUNTER quam optime refellit. Si absorptio puris cuncta mala, quæ ei rejiciuntur, ciet, quomodo fit, ut abscessus, et hi quidem satis magni, absorbeantur, neque tamen aliquid vel minimum detrimenti sequatur? Idemque de pure accidit per cursum venarum formato, unde facilior aditus ei in massam humorum circulantem, præstaretur; virus venereum vehementius acturum esse, quam pus laudabile ab ulcere ad sanitatem spectante, credere æquum esset: quoties tamen bnbones magnos, imo etiam empyemata, subito per absorptionem sublata videmus, neque tamen, etsi res ita se habeant, Febris Hectica supervenit. Quoties, autem, abscessus satis magnos, quos inter progressum nulla constitutionis turbatio comitata erat, nihilominus in exemplis plurimis Hectica excipi videmus, simul ac apertura

facta fuerit. Donec stimulus ad partes renovandas admoveatur, nullus istiusmodi effectus accidere potest; neque si partes ad sanationem prompte spectant, ulla indoles hectica inducitur, neque constitutio omnino implicatur.

Doctor CULLEN hanc febrem a pure absorpto oriri arbitratur; Dr HEBERDEN eam a causa locali pendere et irritabilitatem in ullo organo morboso quod ad sanitatem redire abnegat, æque ac pus absorptum eam inducere posse autumat. GALENUS, JOANNES HUNTER, et Doctor WILLAN, eandem fieri posse, et sæpe revera esse affectionem Idiopathicam censent. Dr WILLAN febrem de qua agitur, ex toto irritabilitati tribuit, neque unquam omnino a pure absorpto oriri credit; nihil amplius puris inter febrem hecticam quam cum nulla talis infestat, absorberi opinatur: hoc vero argumenti gratia concesso, potius absorptionem auctam indoli hecticæ in abscessum vel ulcus, quam huic in diathesin hecticam agenti, attribuere voluit; et cum hæc ita sunt, diathesis hectica causa, et absorptio aucta tantummodo prioris effectus esse videtur; adeo ut, etiam in hac conditione, febrem hecticam morbum esse primarium sive constitu-

tionalem putat. Neque hæc sententia infirmatur, sed potius comprobatur, si in memoriam revocamus, morbum in iis exemplis bene notari, ubi nulla puris absorptio accidit, veluti in carcinomate partium corporis diversarum, antequam stadium ulcerativum accesserit. In hectica lactantium, itemque in aneurismatæ aortæ, ubi sternum absorptum est, necnon diabete diu perstante, æger macie multum conficitur; œdema pedum adjicitur et febris cum omnibus hecticæ notis ingreditur. Hæc argumenta, absorptionem puris non causam hecticæ existere comprobantia, mihi saltem satis valida videntur. Hectica profecto morbus constitutionis primarius esse potest, constitutio enim, in eandem actionis rationem sine ulla causa locali qualicunque, quatenus saltem notitiam habemus, incidat; et sic Doctor WILLAN rationem ejus affectionis idiopathicæ existentis reddit; et nihil fere sæpius accidat, quam ut Febris Hectica in ægris, ubi nulla causa localis omnino adest, oriatur. Doctor PERCIVAL eam affectionem Idiopathicam esse concedit, et eandem per tres menses sine ullo pulmonum vitio perstare, et tum demum in hos irruere, nonnunquam observavit. Morborum complurium et plerumque insanabi-

lium, vel saltem sanatu difficillimorum, symptomatica notatur.

Hæc febris a causis plurimis ortum suum deducat, quæ haud inepte in duas species ad partes morbosas spectantes, vitales, scilicet, et contrarias, distributæ sunt. Multæ ex causis hecticæ, a morbis partium vitalium ortæ, istam affectionem consitutionis non inducerent, si iis in quavis alia corporis parte accidere contingeret: qualia sunt tumores partes ad vitam sustinendam haud parum momentosas comprimentes, qui cito hunc morbum inducunt; tubercula, exempli gratia, generum diversorum in hepate, pulmone, &c. ea præsertim strumosa dicta, quæ in ea strumæ forma observantur, cui nomen Tabes Mesenterica imponitur; quæ quidem ex glandulis mesenterii per quas chylus transire debet, antequam sanguinem circumactum ineat, amplificatis constat, ob hanc ejus transitus obstructionem. Macies corporis summa, cum signis aliis sibi propriis inducitur, quæ, nisi tempestive tollantur, cito in hecticam desinunt. Hæc, quamvis plerumque ab aliquo morbo locali immedicabili oriatur, tamen, ut jam supra annotavi, quasi morbus constitutionis primarius sine ulla causa locali qualicunque instare

queat. Optimo jure ab omnibus medicis conceditur Diathesin hecticam sæpius a Phthisi Pulmonali quam alio quovis morbo oriri, proxime de hac re, quod ad frequentiam tumefactiones articularum strumosas memorare par est; sive sine ulla artuum læsione ægrota ipsi nota, unde articuli inflammatio fuisset inducta, sive contra manifeste ab injuria strumoso illata, ortum traxerint suum. Hydarthrus, sive spina ventosa ubi nonnunquam appellatur, hujus mali frequentissima forma existit; psoæ abscessus; viscera morbosa; vulnera late contusa vel lacerata, itemque fracturæ compositæ, tantam suppurationem inducentes, quantam vires vitæ tolerare nequeunt; et hæmorrhagiæ frequentes, quæ in istis vitiis accidunt, ægrum citissime debilitant et exhauriunt, et nisi iis tempestive per remedia idonea obsistatur, brevi in hecticam desinunt. Morbus iste nomine Nostalgia designatus, quem appetitus somnique defectus comitantur; venus immodice culta; usus hydrargyri parum idoneus; signa morbi aphrodisii secundaria; morbi organorum quæ secretioni et excretioni urinæ inserviunt, veluti calculus in vesica, dysuria vel ischuria, stricturæ urethræ; fistula in perinæo itemque in ano; caries; necrosis,

cuncta ad unum iis causis, quas supra pro excitantibus habuimus, annumeranda sunt. Consensum faciliorem constitutionem inter et partes quæ vitales quam quæ non ita sunt, intercedere, morbosque harum difficiliores sanatu esse, jam annotavi. Quod autem ad vitalitatem paritum attinet, annotatu dignum est, ossa, ligamenta, tendines&c. quæ in statu sano quemvis stimulum admotum parum sentiunt, et parce vasis sanguinem vehentibus instruuntur, nihilominus morbosa facta, ob naturam minime cedentem, multo vehementius quam cuticulam, telam cellulosam, &c. pari ratione affecta, constitutionem generalem afficere, viresque naturæ partium istarum malis multo citius succumbere. Hectica intervallis quam maxime diversis post inflammationem et suppurationis initium ingruit, idque ob res diversas circumstantes; quædam enim constitutiones præ cæteris minus resistere valent, ideoque facilius in hanc conditionem incidunt. Doctor STOLL habitum phthisicorum verbis nonnihil sequentia referentibus memorat: Diathesis Hectica, quæ, ut ait ille, plerumque haud parum manifesta est, et cute pulchra, oculis cæsiis, coma flava, fibra laxa et temperamento sanguineo notatur; et siquando res se

ita habent, plerasque aliarum febrium causas in hanc corporis indolem agentes, Hecticam inducere posse verisimile videtur. In hominibus hoc temperamento insigni præditis, quam in cæteris, ab actionibus morbosis in partibus corporis diversis, veluti in corde, ventriculo, &c. itemque a variis eruptionibus repressis diversisque exinanitionibus solitis cohibitis, cieri Hectica potest. Quoniam haud raro rubeolæ et variolæ sequela observatur, itemque a dyspepsia oriri queat; nec non pariter ac cæteræ febres remittentes, hæc a miasmate febrili originem suam deducat. Hæc, ut mihi videtur, præcipua sunt, quæ de causis hujus febris excitantibus et prædisponentibus cognoscere oportet: ideoque jam ad diagnosin proferendam progrediar.

DE DIAGNOSI.

Paroxysmus hecticus haud parum eos febrium intermittentium refert, et ideo cum iis nonnunquam confundi valet; animi autem attentione symptomatis singulis et progressui duorum morborum adhibita, diagnosin accuratam proferre haud

ita difficile reperitur. Formas hujus febris diversas plerumque typum quotidianum, aliquando, vero, tertianum, vel quartanum regularem refert; et ex signis solummodo, in singulis paroxysmis bene perspectis, discrimen inter eas detegere valemus. Symptomata, igitur, utrisque propria novisse oportet. Imprimis, ergo, paroxysmi in stadio febris istius, de qua agitur, incipiente lenissimi sunt, et pulsu accelerato duntaxat dignoscendi; hi lente et insidiose progrediuntur, donec ægri constitutio labefactetur; dum contra in intermittente paroxysmus vehementior est et matutinus, in Hectica vero vespertinus cum exacerbatione satis superque evidente. In hac quoque calor summæ cutis constantior et minus variabilis observatur; neque æger, sine summa spirandi difficultate, exercitatione corporis ulla uti valet. Pulsus ad minimum decem ictibus statum naturalem superat; dum contra in intermittente nullum de hac re discrimen post paroxysmum accidit. In Hectica quoque adsunt, macies levis, sensus ardoris insignis in plantis pedum, manuumque palmis, necnon erubescentia circumscripta super ossibus malaribus, quæ adeo sæpe comitatur; rarius nausea et vomitus inter stadium frigidum, ut in intermittente accidit,

urgent, sed sese mane produnt; minore regularitate quoque stadiorum diversorum dignosci queat; vix enim in reditu amplius quam per dies tres vel quatuor regularis est, stadia frigidum, calidum, et sudans non sibi invicem, pari ordine ac in intermittente succedunt; stadium enim calidum non usque frigidum subsequitur, sed hoc haud raro illi medium intervenit. In febre intermittente urina inter paroxysmos limpida, sed intervalla turbida redditur; in Hectica autem normam nullam constantem sequitur. Symptomata ab urethræ contractionibus, cystitide, effusionibusque urinæ, &c. orta, in symptomatibus quibusdam Hecticam referunt; hæc autem ab iis facile dignoscenda est. Incautus, profecto, inspector morborum est iste, qui, aliquo febre urinaria laborante vel semel conspecto, hæc duo mala inter se internoscere nequiret. Febris posterior a Hectica historia exempli priore; vehementia qua incipit; stadiis frigido et sudante gravioribus, itemque odore spiritus urinario, et dyspnœa magna distingui valet.

DE PROGNOSI.

Causis Hecticæ jam memoratis bene perspectis, præsagium nostrum de exitu morbi ultimo plerumque infaustum esse oportebit; præsertim quando morbis partium vitalium, veluti tuberculis in pulmone, originem refert. Siquando hæc febris a carcinomate vel fungo hæmatode ventriculum vel aliud viscus quodvis aggrediente inducitur, spes nulla curationis superest. Nihil boni medicus, in talibus exemplis præstare potest, nisi remedia exhibere quæ dolorem mitigent, et quietem concilient. Quod ad phthisin attinet Doctor THOMAS ait: "An insulated ulcer of the lungs, whether arising from inflammation of the bronchial membrane, the rupture of a bloodvessel, or deep-seated suppuration, may, and does indeed sometimes even under circumstances apparently hopeless, admit of a cure; but that a recovery can be permanently established when the substance of the lungs is studded by tubercles in a state of suppuration or proceeding rapidly thereto would require more confidence in the power of

nature and art than they are entitled to." Si tamen morbus in parte aliqua sedem habet, quæ per operationem chirurgicam submoveri queat, spes major adest; si, enim vires ægri, remediis nihil proficientibus, labefactantur, necesse erit, partem quæ irritationem efficit, tollere, si id recte fieri potest.

DE RATIONE MEDENDI.

Neque mihi in animo est, neque profecto hujus tentaminis limites sinerent, de modo tractandi ea mala plurima, unde hæc affectio oriatur, agere; nihil amplius, ut opinor, quam ea remedia nominare oportet, quæ signa molesta, sublevare possunt; quamvis, enim, ita non in nobis fortasse situm sit, pleraque exempla ad exitum felicem perducere, nihilominus miserias ægri haud parum sublevare possimus. In Hectica tractanda, in causa tollenda, si fieri potest, primum elaborare oportet. Morbum in parte aliqua, quæ per operationem chirurgicam tolli queat, sedem habere fingamus; quanquam multa ex symptomatis infaustis supra-

dictis, veluti sudores partium singularum, pervigilium, anorexia, cum pulso parvo, frequente, duro, viribusque ægroti deficientibus, acciderint. Nihilominus causa sublata, si recte fieri potest, plerumque indicia mala cito evanescunt; pulsus a 140 ad 98 etiam intra horas viginti quatuor descendit; æger prima nocte post operationem somno fruitur, quamvis fortasse non bene per aliquot hebdomadas ante, sine opiato exhibito dormiverat; diarrhœa statim compescitur, functionesque cunctæ ad statum suum naturalem redeunt. Haud absimile est, dolorem inter operationem perceptum, affectionemque constitutionis sympatheticam, ad hos effectus salutares inducendos conferre; actio enim excitatur, Hecticæ quam maxime opposita, et constitutionem rursus ad conditionem naturalem reducere dicatur. Si, contra, ægrotans quovis morbo valde maligno et insanabili præterea plectitur; si pulmones tuberculis obsessos: scirrhum pylori, fungum hæmatoden, alicujis visceris vel ejusmodi habet; re sic se habente, artus, vel pars quæcunque cui morbus insideat, et innitatur, minime tollenda est; exempli gratia, si hydarthrus habet, cum phthisi pulmonali, quod haud ita raro accidit, et

si artus amputetur, exitum lethalem talis ratio tantummodo expediet et festinabit; vulnus enim quamvis fere per totum suum spatium sanescat, et aspectum spe plenum sibi sumet, nihilominus istud malum pectorale recrudescet, miserumque ægrum periculo ancipite obsessum, e medio tollet. Ad statum alvi medicum respicere oportet, leniter laxantibus exhibitis, et quoniam febris sæpe materia acri intestina irritante haud parum intenditur, ea remedia subinde variare, sæpe proderit. Ut sudor minuatur, qui profecto ad debilitatem inducendam vehementer conducit, acida præcipiuntur: neque ulla huic consilio melius, quam acidum sulphuricum dilutum, satisfacere videntur; quando æger doloribus in membris rheumaticis similibus angitur, acida cum opio conjungamus; et hoc medicamentum exhibendi ratio optima est, id cum cinchona componere, et ad dozim ʒss. vel ʒi. sæpe repetitam imperare. Hoc non modo sudorem nimium temperat, sed etiam effectum sedativum, frequentiam pulsus minuendo, atque appetitum cibi augendo, præstat.

Si diarrhœa colliquativa valde urget, si fieri potest, per astringentia, veluti misturam calcis cum opio, catechu, kino, &c. sisti debet; vel opium per se for-

tasse melius respondebit, quoniam non modo diarrhœam compescit, sed etiam dolorem levat, somnumque conciliat. Tonica, ob magnam debilitatem quæ adest, plurima et multum usurpantur. Cinchona ex usitatissimis est; et in iis exemplis præcipue datur, ubi Hecticus ob suppurationes late patentes deficit; forma hujus novissima est Sulphas Quininæ, cujus grana quinque eadem ac ʒi. pulveris præstant; siquando hoc medicamentum non in promptu est, pulvis, quam alia ejusdem præparata, efficacior esse dicitur. Quidam ventriculi hanc formam tolerare nequeunt, ideoque necesse fiet, a parvis copiis incipere, et incommodum tale quovis aromatico adjecto, vel infuso, quasi haustu effervescente, exhibito evitare. Tonica mineralia, veluti præparata ferri, zinci, et cupri, nonnunquam cum insigni beneficio sumuntur.

Medicum ad causas mali præsertim respicere oportere jam supra annotavi. Si, igitur, morbus e glandulis mesenterii morbosis pendet, cathartica e submuriate hydrargyri, magnesia et rheo palmato, itemque frictio abdominis, balneum calidum, et diæta bona, præcipienda sunt. Si a syphilitide oritur, hydrargyrus caute et prudenter exhiben-

dum est; itemque decoctum sarsaparillæ compositum, acidum nitricum, &c. Sin, autem, Hectica ab affectionibus morbosis in partibus oritur, quarum jacturam constitutio tolerare potest, pars morbosa, quatenus consilio supra dato conveniat, submoveri debet. Spe, contra, curationis præbita, vires ægri vino Madeiriano parvis copiis exhibito; diæta nutriente, concoctu facili; cardiacis mitibus, et cinchona cum acido sulphurico diluto, sustinere debemus, sed cinchona, quamvis sæpe expertum, non efficax reperitur. Doctor HEBERDEN tamen se nunquam ab usu ejus in Febre Hectica, quodvis incommodum vidisse ait; cui opinioni EDVARDUS HULSE, Eques, assentitur, qui ægris quadraginta hoc medicamentum exhibuit, quorum nullus ab eo aliquid boni se sensisse diceret; et profecto num quodvis medicamentum robur constitutioni directe impertire possit, valde dubium est.

Inter Hecticæ paroxysmum, plurimum levaminis ægro præstatur, palmis manuum, plantisque pedum spongiis aceto et aqua refertis detersis; neque hoc unquam negligi debet; quoniam a sensu caloris in partibus extremis stimulus generalis præcipue derivatur. Quotiescunque Hectica a phthisi pulmonali pendet, curatio singulis

indiciis tractandis, absolvi debet. Si æger habitus plenioris est, et dolore fixo sensuque ponderis in pectore, cum tussi sicca, molesta plectitur; si dolor iste decubitu in latus alterum intenditur, actio vasorum detractionibus sanguinis repetitis minuenda est; alvum, salibus neutris vel sulphate magnesiæ cum antimonio tartarizato, perfecte aperire oportet; hoc consilio peracto, tinctura digitalis in dosibus parvis sed repetitis, sæpe cum magno beneficio usurpatur; interdum emeticum in stadio incipiente exhibitum prodest; sulphas curpri in dosibus a granis quinque ad decem pro ægri ætate exhibitus, ullo alio melius respondebit. Refrigerantia quoque, in hoc stadio febris, cum commodo usurpentur, et nitras potassæ in emulsione porrectus, potum bonum et refrigerantem efficit. Si tussis et dyspnœa adhuc molestæ perstiterint, Doctor DUNCAN senior inhalationem ætheris sulphurici, in quo folia siccata conii maculati macerata fuere, laudat. Ad tussim molestam tollendam, extractum conii maculati cum myrrho, et tinetura hyosciami cum mucilagine gummi arabici vel emulsione amygdalæ communi, itemque emplastrum vesicatorium pectori admotum, utilia reperiuntur. Quando materia per tussim ejecta sanguine striata est, aceta-

tem plumbi, itemque acidum acetosum ad ℥ss. ter vel quater in die, cum summo beneficio usurpata vidi. Acidum acetosum plerumque sudores nocturnos compescit; hæmoptysin sistit; pulsum temperat, et alvum astrictiorem reddit. Vix unquam cinchona ægro ulli in Phthisi tuberculata convenit. Ad vires sustinendas remedia efficacissima jam enumeravi, quibus misturam GRIFFITHII seu misturam ferri compositam, aëra liberum, corporisque exercitationem adjiciam. Diæta præcipue ex lacte constare, et æger parvam copiam quoque tempore, cum longis intervallis quietis, comedere debet. Lichen Islandicus multum a Medicis, sub forma decocti cum aqua vel lacte, pro diæta potius quam medicamine, præscribitur, cura haud parva ægri vestitui adhibenda est; vestimenta lanea proxime cuti apponantur, frigusque omnigenum, quod nunquam non morbum auget, sedulo evitandum. In stadio incipiente, vel quando proclivitas ad phthisin adest, migratio ad cœlum calidius nonnunquam prodest; si vero malum ad ulcerationem decurrerit, eadem semper exitum lethalem festinat.

FINIS.